

THOMAS LINDNER

**Carmina miscellanea selecta**

EDITION  
TANDEM

THOMAS LINDNER

**Carmina miscellanea selecta**

Titelbild: Collage von Autographen

Druck: druck.at

ISBN 978-3-904068-93-2

© 2023 EDITION TANDEM, Salzburg | Wien  
[www.edition-tandem.at](http://www.edition-tandem.at)

© Thomas Lindner, *P.L.*

## CARMINA LATINA

*Collis erat, quem conscendi, viridantibus uber  
Graminibus, venti me palpavere tepentes.  
Ac simul insedi scamno, quod vertice summo  
Apposita mensa spatiantibus otia praebet,  
Flatibus aëriis frumenti flava fluebat  
Copia. Pone fuit late mea terga deumbrans  
Fagus amoenicolor foliisque salubribus ampla.  
Ecce, subit virgas et vimina turbidus aër.  
«Ventule, ne scriptas asporta, stulte, papyros!»  
Inquam, vix potui manibus reprehendere chartas.  
Decidit ut lentus modico curvamine clivus,  
Sub tumuli radicibus est cannaque palustri  
Cincta palus stipulisque vagis et harundine molli.  
Alituum decus hac servatur versicolorum  
Tunc avibus solis pulchra regione tributa.  
Inde lacuna subest limoso plena liquore:  
Artubus hic limus sanandis aptus habetur.  
Saepe solent homines ibi nare diebus apricis;  
Sole fruuntur aquisque nigris. Pars altera circum  
Ambulat incumbens collatis postmodo sellis.  
Immemor ultima pars nandi studiosaque fuscii  
Corporis usque iacet bacchans in caespite culto  
Affectatque cutem comburi nardificatam.  
De tumulo vergit pulcher conspectus in agros.  
Gramina fenisece succidunt falcibus uncis  
Quadriugisque ferunt ingentia fena covinnis.  
«Sedula gens!» mecum dixi vultumque levavi*

*Rudera miratus lapidum spatiosaque saxa  
Fissa velut valido pugno vel fulmine forti;  
Quod Mare Saxosum longaeva vocaverat aetas.  
Sic nonnulla fenestra domus, quae rupis acutae  
Hanc iuxta speculam – priscum cui Noctua nomen –  
Parva quidem magnis scopulis audacter adhaeret,  
Fulsit ut ignipotens adamas flammansve metallum.  
Tramite serpenti petiere cacumina summa  
Innumeri sudore suo febrique gementes,  
Cum me frondicomans umbra circumdaret arbor:  
Me quotiens collis memorem meminisse iuvabit! ⊗*

*Fons scatet, exigua de rima deflua lympa  
Labitur et lapides vocali murmure pulsat.  
Continuusque latex liquido splendore coruscans  
Crescit et alveolo cohibetur stilla pusillo.  
Et citius refugit montes, ubi natus, apricos  
Rivus et acceptis torrentibus amplificatur.  
Interea silvae breviter iam flumine facto,  
Quae viridi densis dumis fragrabat odore,  
Appropiant undae; rapido sorbentur hiatu.  
Lenis aquae flumen tacito cum murmure manat  
Limpida per silices iactantes fulgura sursum.  
Quam fuit ille locus pullo velamine tectus,  
Fronde locupletes foliisque recentibus aucti  
Quod rami dederant umbrosi lucifugique.  
Quam fuit haec regio iucunda fusa quiete:  
Qualia silva sopora silentia donat amoena,  
Qualis in hac habitat pax candida valle tacenti!  
Acrius intendas aures: cantare canoro  
Agmina parva vigil cantu vident alisequorum*

*Et placido paulum vento fruticeta moveri?  
Ripa videtur et herba videtur et ulva cubare:  
Sic quoque cuncta silent, taciturne profluit amnis.  
Parva morast: primi radii iam vimina lustrant  
Confestimque plagas ridens sol vertit opacas.  
Et simul incipiunt tremulae titubare fluentis  
Ocius et magni crispantur fluminis undae.  
Tamquamsi subito tempestas dira propinquet  
Fulminis occultans oculis, non auribus, ictum;  
Qui fremor ambiguus paulatim crescit et inde  
Horrisono strepitu bombos simulare sonoros  
Suevit et attonitis angorem ferre molestum:  
Sic ex longinquo primum clangore furente  
Vertice perceleri guttae properare videntur,  
Vertice perceleri passim rapiuntur in arta  
Saxa, furor quorum (iam vox me deficit aegra)  
Dicitur et divis audiri sede superna.  
Inde viast praeceps super aëra; ruderam rumpit  
Alveoloque carens rapidus fluvius volitando  
Decidit instabiles latices neque semita ducit  
Instabilesque cadunt super aëra praecipitanter,  
Instabiles latices titubant properi — impulsu  
Tangit humum flumen bruto simul obtusoque.  
Impete iactantur vehementi turbinis instar  
Fluctus spumosi vibrantque tonantque coacti.  
Alveus ut reddatur aquis condantur et undae,  
Cura fit Amnigenae: quaerendo cuncta reformat.  
Sic amnis sensim placatur et exhilaratur.  
Perfluit arva dein navis celebrata colonis,  
Florigeros campos lateque patentia prata  
Visit et ignotas urbes hominesque salutat. ⊗*

*Tempore brumali terris gelida nive pressis,  
Cum vico matris natali more morarer,  
Mane sedens tectis aviae fumante camino  
Quam fervore diu misso fornace fruebar!  
Quam mihi dulce foco lassari saepe crepante!  
E plena tandem matercula nava culina  
Dulcia poma sui perquam studiosa nepotis  
Atque dapēs multas, quae denique restituerunt  
Corpora fessa, tulit pretiosa condita lance.  
Dein esis epulis potu fruiturus odoro  
Auribus intentis narrantis ab ore pependi:  
«Dum pueri fuimus tenues, ego, Francius ille,  
Aequanima celerique manu collegimus ambo  
(Hic tunc ludus erat nobis) pictasve columbas  
Aut alias volucres varias et versicolores,  
Alituum decus ut magna veniret in urbe.  
Mense dies fuit apta – libens reminiscor – Aprili;  
Nulla petituris nobis mora: voce modesta  
Ivimus ad patrem, sella qui sedit eburna  
Publica perlustrans, semper quae legerat, acta.  
Ut pater audivit, metuenti reddidit ore:  
«Unica vos estis taetris intacta periclis  
Spes mea. Nunc igitur dictis parete paternis!  
Concedam vobis tam dudum fota cupita,  
Alituum decus ut pictarum veneat urbe,  
Legibus his: hora tantum revenite diurna,  
Ne videam vos immemores et nocte vagantes!  
Neu sermoniferi perlectent vos peregrini,  
Blandificis donis qui temptent usque tenellos!  
Sin amiseritis regionem, quaerite promptim  
Urbis praetorem: plateam monstrabit eundam.  
Tum cum vendideritis aves et vespera subsit,*

*Ite domum recta: penitus mea verba tenete!>*  
*Dixerat et madidis felices basia malis*  
*Figimus <Alme pater> respondens quisque <valeto!>*  
*Ille dein nos dimittit lacrimasque reterget.*  
*Ferrivia vehimur cavea tuitante palumbes*  
*Fulgidulos (nunc crede mihi), quos ferriviantes,*  
*Qui digitum dederant, affecti vulnere parvo*  
*Admirabantur tamen ac mulcere volebant.*  
*Urbem perveniebamus. Quae turba meantum*  
*Quique tumultus adest! Quo sunt loca plena crepore!*  
*Nec mora: largificis stipibus nec laude minore*  
*Sunt breviter volucres a praetereuntibus emptae;*  
*Tempus abit memoresque domum proficiscimur inde.*  
*Urbis erat nobis haec experientia prima.»*  
*Desierat matercula; nunc thea frigida factast:*  
*Tam sollers auditor enim iam carmen adumbro. ⊗*

*Cum tenebrae pulsae fugissent lumen Eoum,*  
*Dulciter irrorans caelos Aurora rubore*  
*Hausit agros placidis radiis super aethera netis.*  
*Nec mora, fulgenti successim templa superna*  
*Lumine concelebrat nocturnas solvere nubes,*  
*Tergere sol gelidum parat almus denique rorem;*  
*Atque mera fundens tellurem luce cubantem*  
*Excitat usque gravem somno penetratque volatu*  
*Vitali felix auras et agrestia rura.*  
*Lene beant zephyri campos ventique tenelli*  
*Hos comitantur et arva suo cum flamine molli*  
*Inficiunt tepidique calore mapalia mulcent.*  
*Ah! celebrate diem, Nymphae, celebrate canoro*  
*Lumina clara poli, mea rustica numina, cantu!*

*Rus cantetis, ubi valido bove sedulus agris  
Infundit sulcos et mitia poma colonus  
Educat ac paula contentus fungitur olla.  
Rus, ubi pascit oves et pastor harundine dulci  
Dulces adducit cantus et pectore fortem  
Ardorem nutrit, formosae Phyllidis ignem.  
Et cantate nemus, densis ubi conditus ulmis  
Rivus in alveolo parvo plenoque lapillis  
Labitur: hic undae muto cum murmure manant.  
Saepe subit Corydon ardenti pectore silvam  
Phyllida visurus, suavi fruiturus amore;  
Quot perceperunt carae promissa puellae,  
Pignora summisso pueri virgulta susurro!  
Qualia singultant iuncti bona basia dantes!  
At nemus amborum numquam secreta recludet. —  
Quale capit desiderium mea corda morandi!  
Campus agerque mihi cari dilectaque prata:  
Vos iterum rursusque beato corde saluto.  
Sic, mea Musa, mera mera pascua laude loquaris! ⊗*

*Diffugiunt tenebrae pulsatae lumine claro  
Paulatimque polum subeunt dilucula canum  
(Tunc invisibili noctem deprivat amictu  
Mirificis urgens alboribus alta potestas).  
Perspicue iamiam surgit telluris ab imae  
Margine postremo digitis aurora rubellis  
Fornicibus caeli subtexens tenuia fila.  
Interea currente die vi candidus aucta  
Sol oritur potiore sororem lampade sectans,  
Maiestas et rex caeli venerandus aprici:  
Indicat assiduam vitam iubar atque iuventam.*

*Lene solum palpantur amoenis flatibus aerae  
Ac varios flores ac mollia gramina campi  
Poplite melligero pictis apis instrepat alis,  
Nectare pasta bono celeri volat inde susurro.  
Sensibili vix ascensu volventibus horis  
Gemma poli pollet summoque cacumine sistit,  
Perpetuis radiis vehemens loca subdita torret  
Et validis terram fervoribus urit inermem.  
Nullus inest exinde vigor depulsus inique:  
Arva, quibus sua vita fuit muscis apibusque,  
Nunc exhausta iacent raptoque liquore gemiscunt  
Arboribusque color viridis decedit ob aestum.  
Nec lacubus sua gutta manet: siccantur et umor  
Schemata densescens describit in aëre parva,  
Quaeque putas vidisse redarguerisque videndo.  
Sic natura fatigatast et torpida languet,  
Languet, luget et inde siti vexata periret,  
Ni deus altitonans miseram miseratus adesset.  
Cum graviter terram cernit segetesque sitire,  
«Venti, confestim pullos conquirite nimbos,  
Nubila» dixit «adeste simul: nunc ferte dolenti  
Imbris opem Cereri! Phoebos praeccludite portas  
Exhaustumque solum madeat viresque resumat!»  
Nec mora, terrisono veniunt rumore procellae  
Partibus inflantes diversis pellere nubes;  
Appulsis faciunt molem: via lucis ademptast.  
Fulgura continuo nitida nitidissima luce  
Flammivomoque furore micant ac perpete bombo.  
Et facies terrae nunc solvitur exoptata  
Proluvie breviterque deus fera fulmina vibrat.  
En! subito nimbi tenuantur et imber alendo  
Lenis in arva prius flaccientia decedit: eia,*

*Phoebe, nites et tu rutilus rursusque sagittas  
Aureolas levioꝛe quidem nunc impete mittis,  
Aureolas, graciles quae guttas imbris aquosi  
Findunt findunturque vagoque colore retexunt.  
Viribus assumptis iterum bona surgit arista  
Et bibulus suspirat ager madidusque revivit:  
Sic nova purgata natura renascitur aethra!* ⊗

*Umbra fuit, qua calcavi pede devia fesso  
Perdita iucundae percontans dona quietis.  
Qualis erat nubes et inxsuperabilis horror  
Taeter et anxiferae torturae mentis inermis.  
Cor mihi subtrepidat divulso pectore quassum  
Aegraque sulfurea mens est infecta mefite,  
Quam lacerata cavo tellus exhalat hiatu.  
«Cedite» clamabam «circumvolitantia» saepe  
Territus ore macro «flaccenti cedite monstra!»  
Viribus extremis attempto flectere gressum  
Inceptum dirum fugiturus; at ultimus angor  
Quaeque dolorifice produxerat omen imago  
Denique sopierant mentem vultumque tenebris. —*

*Languidus exiguo post tempore tempora bruta  
Sentio, consurgens titubo male sobrius ipse  
Palpebris laxis et mente gravedine fusa.  
Supremo nixu mihi lumina tollere demum  
Contigit et nebulosa queo loca cernere vultum  
Nube recedenti velatus. Liquida nubes  
Me patiente (pati mihi mens fuit) inde retextast. —*

*Sed quali felix iterum, mirabile fictu,  
Numine, nescioqua clementi sorte solutus?*